

1.749, Noviembre, 26

Breve del Papa Benedicto XIV concediendo el
perdon a Alfonso Clemente de Arostegui y
confirmandolo como capellan y prelado do-
mestico.

1. The first part of the book

The first part of the book is devoted to a general introduction to the subject. It begins with a discussion of the historical background of the theory, and then proceeds to a detailed treatment of the basic concepts and principles. The author's approach is clear and concise, and the book is well suited for use as a text in a course on the subject.

DILECTO FILIO
MAGISTRO ALPHONSO
CLEMENTE DE AROSTEGUI.

*Cappellano Nostro , & Causarum Palatii
Apostolici Auditori.*

BENEDICTUS PP. XIV.



Ilecte Fili salutem & Aposto-
licam Benedictionem . Quam
profecto de tua præclara in-
dole subactoque in literarum
studiis ingenio apud omnes bo-
narum artium disciplinarum-
que cultores commoveras expectationem,
cum primum in celeberrima Hispania-
rum Academia Complutensi Sacros Ca-
nones summa felicitate interpretatus ,
gravissimis quoque rationum momentis
propugnasti ; eam ita deinceps sustinere
studuisti , ut libro : *Concordia Pastora-
lis* : inscripto in lucem edito, non sine
admiratione & laude etiam superaveris .
Postquam vero tantam nomini tuo in
Hispaniis celebritatem comparaveras , in-

de ad hanc Almam Urbem nostram accedens, ut in Cappellani nostri & Caesarum Palatii Apostolici Auditoris locum constituereris, nedum talem Te probasti, qualis apud Hispanos commendaberis; sed ita etiam Te gessisti, ut conciliata Tibi omnium Ordinum gratia ac benevolentia plurimi fieri, magnoque in pretio haberi pergas. Nos sane qui Te paterna præcipuaque benignitate prosequimur, inter Prælatos nostros Domesticos, quod nemini ex Cappellanis nostris caularumque Palatii Apostolici Auditoribus exteris datum fuerat, adnumerare, & sæpe in gravissimis negotiis, præter ea, quæ in Auditorio nostro ex tui muneris debito expedienda in dies ex universo Catholico Orbe veniunt, Te una cum selectis a Nobis Consiliariis coram Nobis adhibere non dubitavimus. Tanta enim est nostra de eximiis virtutibus tuis, ac de Concordia illa pastorali existimatio, ut in Epistola Decretali nostra: *Tusculana Jurisdictionis*: inscripta, & in opere quod antequam ad Sacrosanti Apostolatus Cathedram eveheremur, concinnatum *de Synodo nempe Diæcesana* successivis horis
per

per autumnales ferias recognitum , nuper publici juris factum fuit , nonnulla ejusdem Concordiæ Pastoralis dicta inseruimus . Illud vero non diffitemur , Nobis accidebat per jucundum cum Tu carissimorum in Christo Filiorum nostrorum Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici , & Caroli utriusque Siciliae ac Hierusalem Regis Illustris negotiis prepositus , ad illa sæpissime Nobiscum conferenda pertractandaque adires ; mirabamur enim atque laudabamus quam maxime , quod illa proponeres atque explicares summa fide , summa sapientia , summa prudentia , ac tanta dexteritate , tantaque erga Nos & Catholicam Ecclesiam observantia , & singulari erga utrumque Regem zelo , ut neque Nobis , neque illis unquam contigerit te intercedente quidquam grave ac molestum . Etsi autem Nobis pergratum fuit , cum perspeximus honorificum de meritis tuis iudicium ejusdem Ferdinandi Regis , qui Te ad Hispanias suas revocans , in supremi Regique Castellæ Senatus Consiliarium adscivit , tamen de collata quidem Tibi dignitate gratulantes , de discessu certe tuo non lætamur . Porro

quemadmodum huc venientem , atque
Romæ commorantem præcipuæ benevo-
lentiæ existimationisque argumentis sem-
per complexi sumus , ita hinc abeuntem
novis Apostolicæ auctoritatis caritatisque
documentis comitari non dedignamur .
Itaque ut præclara tua erga Catholicam
Ecclesiam præstita obsequia & merita,
assiduis exantlatis laboribus conjuncta ,
quoad Nobis integrum est , remuneremur ,
motu proprio , & ex certa scientia ,
ac matura deliberatione nostris de-
que Apostolicæ potestatis plenitudine
omnia & singula jura , decora , privile-
gia , indulta , prærogativas , facultates ,
indulgentias , peccatorum remissiones ,
pænarumque relaxationes a Romanis Pon-
tificibus , atque a Nobis ipsis per Apo-
stolicas sive sub Plumbo sive in simili
forma Brevis literas Cappellanis & cau-
sarum Palatii Apostolici Auditoribus quan-
documque & quomodolibet impertita
& impertitas , quibus tamquam Præla-
tus Domesticus & Cappellanus noster ,
atque unus ex Auditorio nostro Romæ
residens , munerisque ejusmodi vices actu
gerens re ipsa uteris , frueris , & gaudes ,
tenore præsentium Tibi ita confirmamus ,

ut

ut sub iisdem modo & forma deinceps,
ubicumque Te degere contigerit, libere
& licite non obstantibus Apostolicis ac
in Universalibus Provincialibusque & Sy-
nodalibus Conciliis editis generalibus,
vel specialibus Constitutionibus & Ordi-
nationibus, necnon quarumcumque Ec-
clesiarum etiam juramento, confirmatio-
ne Apostolica vel quavis firmitate alia
roboratis statutis, & consuetudinibus,
privilegiis quoque indultis & literis A-
postolicis, & aliis quibuscumque in-
contrarium præmissorum quomodolibet
facientibus, quibus specialiter & expre-
sse pro hac vice tantum derogamus, uti,
frui, & gaudere possis ac valeas, perin-
de ac si Romæ resideres, & laudati
Auditorii muneribus re ipsa fungereris,
ac præsertim motu, scientia, potestate,
& tenore paribus primum Tibi confir-
mamus & ampliamus Indultum semper
& ubique locorum, atque etiam in fun-
ctionibus tam Ecclesiasticis quam Secu-
laribus gestandi habitum Prælati Dome-
stici nostri & Romani pro tempore exi-
stentis Pontificis, Rotæque ut dicitur
Auditoris, nimirum violacei coloris cum
Rocchetto, ac Pileum nigri coloris cum

flocco

flocco coloris rubri ad instar Apostolicorum Notariorum Protonotariorum nuncupatorum supranumerariorum ; deinde Indultum Oratorii privati in Ædibus tuæ pro tempore in quacumque Civitate ac Diœcesi Hispaniarum habitationis, in quo unicam tantum Missam quotidie (diebus tamen festis Dominicæ Resurrectionis, Dominicæ Pentecostes, & Nativitatis Domini nostri Jesu Christi exceptis) ac sine jurium Parochialium præjudicio, etiam per unam horam ante auroram, & per unam itidem horam post meridiem, in tua ac tuorum germanorum Fratrum, eorumque Uxorū Sororumque & Natorum ac Natarum, Consanguineorum, Affinium & Familiarium tecum insimul habitantium, ac Ruri etiam in Hospitum nobilium præsentia celebrare, si Sacro Presbyteratus Ordine insignitus fueris, & celebrari facere libere & licite possis & valeas, necnon Te absente vel impedito, quilibet eorum, vel quælibet earum, scilicet Fratrum vel Uxorū vel Sororum vel Natorum vel Natarum dumtaxat possit & valeat; familiares verò servitiis tuis tuorumque tempore dictæ Mis-

ſæ actu non neceſſarii , ibidem Miſſæ
huiusmodi intereſſentes , ab obligatione
audiendi Miſſam in Eccleſia diebus fe-
ſtis de præcepto minime liberi cenſean-
tur ; Inſuper Indultum quoque Sacer-
dotia ſeu Beneficia Eccleſiaſtica etiam
incompatibilia & ſub iisdem teſtis tam
ſimplicia quam reſidentialia , a quorum
perſonali reſidentia Te auctoritate & te-
nore paribus , quemadmodum alias ex
peculiari Indulto diſpenſavimus , ita ite-
rum quatenus opus ſit , ampliori forma
diſpenſamus , ſive quæ alias Tibi collata
actu poſſides , ſive Tibi deinceps confe-
renda , poſſidebis , atque Eccleſiaſticas
penſiones , ſi quas habes vel habere con-
tigerit , retinendi , & eorum earumque
fructus percipiendi , tuosque faciendi at-
que eaſdem Penſiones quocumque tem-
pore , ſi Tibi viſum fuerit , cuicumque,
Prima ſaltem Tonsura inſignito , juxta
Apoſtolicas literas Romanorum Pontifi-
cum Prædeceſſorum noſtrorum ſuper
translatione Eccleſiaſticarum Penſionum
editas , & non aliter , transferendi. Hæc
autem omnia & ſingula quæ , ut præ-
mittitur , Tibi jam conceſſa , & a No-
bis iterum , quibuſcumque non obſtan-
tibus ,

tibus, confirmata atque ampliata tamquam perenne nostræ benignitatis studio-
sæque voluntatis pignus esse cupientes,
adjicimus Apostolicam Benedictionem cæ-
lestis præsidii auspicem, qua Te Dile-
cte Fili peramanter impertimur, & hinc
discedentem comitamur. Datum Romæ
apud Sanctam Mariam Majorem sub an-
nulo Piscatoris die XXVI. Novembris
MDCCXLIX. Pontificatus nostri anno
decimo -- Cajetanus Amatus -- Dele.



